



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Locutio Dei Ad Cor Religiosi

Pawłowski, Daniel

Leodii, 1701

II. Meditatio: Proponit confusionem Religiosi coram Deo.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)

exaltet in tempore tribulationis. Nihil aliud superest consilii; simus omnes impensè humiles, Christum Dominum nostrum imitati, qui totâ vitâ suâ unam à se disci voluit humilitatem, & inclinato capite tradidit spiritum: ita ille. Quibus dictis, paulò post & ipse expiravit, Conimbricæ 1615. 14. Aprilis.



DIEI TERTIÆ MEDITATIO II.

*Continens confusionem Religiosi
coram DEO.*

Confusionem sui ipsius, curæ esse debere ei, qui peragit Exercitia Spiritualia, innuit S. P. N. Hebd. 1. Exerc. 1. Præhud. 2. his verbis: *In presenti Meditatione, pudorem, confusionemq; mei debeo exposcere.*

ORATIO PRÆPARATORIA, &
PRÆLUDIUM I. *ut supra.*

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam confusionis, & pœnitudinis supernaturalis.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem: Jerem. 11. *Quid est, quod dilectus meus, in domo mea, fecit scelera multa? Hoc audiens, revoca in memoriam, aliqua*

peccata tua notabiliora in Religione commissa, & confundere coram Deo.

1. Quia in domo Dei, velut in Sacrario manens, ea commisisti. 2. Quia in tanta occasionum abundantia ad bonum, malus extitisti; in medio ignis congelatus es; in medio maris non humefactus. 3. Quia tot beneficiis à Deo præventus, ingratus extitisti. 4. Quia offendendo Deum præbuiſti diabolo occasionem, specialiter lætandi, quòd Deus sit offensus à te seruo, amico, & filio DEI. Confundere igitur, dole, & corrige.

II. Audi Deum dicentem: *Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? Isaia 5.* Vide, Religiose, infructuositatem tuam, & confundere. 1. Quia tu es ager ille, per quem dicit se transisse Salomon, quem totum repleverant urticæ: tui mores, urticæ sunt, tribuli sunt, spinæ sunt. O ager, circa quem ipse Filius DEI defudavit! & quando tandem fructuosus eris Deo tuo? 2. Quia tu es arbor illa, in terra bona plantata, gratiæ divinæ fluentis irrorata, quæ tamen frustra terram occupat, & tandiu operam Domini sui ludit. Ah! quid exspectas ô arbor, an ut securis ad radicem ponatur? 3. Quia tu es Corozaim illa, tu Bethsaida, tu Capharnaum; quia si in Tyro, & Sidone, si alicui Ethnico id fecisset Deus,

quod tibi fecit, ô in quàm sanctum eva-
sisset! Confundere igitur, & desle in-
fructuositatem tuam, ac tandem fac di-
gnos fructus poenitentiae, aliarumque
virtutum.

III. Audi Deum dicentem, *Eecl. 4.*
Fili conserva tempus. Tantiùm jam tempo-
ris miserè perdidisti, quo poteras æter-
nitatem lucrari; tempore æstatis, pro
hyeme mortis, nihil collegisti; tempo-
re negotiationis nihil lucratus es, tem-
pore nundinarum nihil emisti; perdidisti
tempus, quod semel perditum, æter-
nùm perditum est. Non redibunt am-
plius illæ Meditationes, illæ Commu-
niones negligenter peractæ, & si com-
pensare velis, non compensabis illas
ipsas; potes habere aliud tempus, alias
Meditationes, &c. sed priores non re-
vocabis. Ergo dum adhuc tempus habes,
operare, redimeque tempus fervore,
& conatu novo.

COLLOQUIUM. Quousque deludam
labores tuos cœlestis agricola, ego ager
nequam? quousque tolerabis infructuo-
sitate meam? quousque rorem tuum
frustra bibam? quousque impensas tuas
in vanum consumam? tandem, ah! tan-
dem sit finis infructuositatis meæ! &c.
In fine, Pater, & Ave.





H O R A
C O N S I D E R A T I O N I S ,

Tempore pomeridiano,
diei tertiæ.

*De fontibus quotidianorum
defectuum.*

Apparens vice quadam Sanctæ Bri-
gittæ pretiosissima DE I Mater,
docuit illam, quòd non propter aliquid
aliud homo in mundo vivere debeat,
nisi ut Deo faciat honorem, & minuat
peccata. Hæc doctrina Matris æternæ
Sapientiæ, cordi debet esse Religioso:
Satagat igitur quotidie minuere defe-
ctus, qui cùm innumeri sint, perdiffi-
cile est, contra omnes simul pugnare,
ideoque ad fontes eorum recurrendum
est, ut iis per divinam gratiam obstru-
ctis, vitiosi rivi exsiccantur. Sunt er-
go fontes hi:

1. Defectus intentionis, seu inten-
tio, vel nulla, vel frigida, vel non
pura, sed permista captationi proprio-
rum commodorum, vel vitiata inter-
ventu intentionis pravæ, &c. Ex hoc

fonte tantum mali promanat, ut etiam ipsa opera, aliàs in se bona, non bona, non Deo placita, non meritoria, sed prorsus vitiosa reddantur, & plurimorum bonorum jactura fiat: quod unus è nostris Vilnæ mortuus, alterique Patri post mortem comparens, recognovit his verbis: O Pater, quàm magna & multa reciperemus, si omnia rectâ intentione faceremus.

2. Oblivio Dei præsentis, quam pro causa peccatorum assignat divinus Psaltes, dum ait Psal. 9. *Non est DEUS in conspectu ejus, inquinata sunt via illius in omni tempore.* Quod S. Basilius in Reg. defectibus Religiosorum sic accommodat: cujus animus temerè evagatur, otioque se dat? quis frequenter irascitur? quis humanas laudes avidè captat? quis ad opera spiritualia piger est? quis actiones suas ad DEI gloriam non refert? quis inter orandum mente distrahitur? qui non semper cogitat, Deum cogitationum, & actionum suarum Inspectorem esse; hæc ille. Obstrue igitur, Religiose, fontem hunc tot peccatorum, oblivionem præsentis Dei, & *ambula coram Deo, Gen. 17.* seu ut Hebr. legit, *vive coram Deo, & esto perfectus.* Imitare animalia ista mystica Ezech. 2. quæ erant plena oculis ante & retro, nempe habentia oculos in manibus, oculos in auribus, oculos in labiis,

oculos in pedibus, plena oculis, intus & foris, ut nimirum neque videas, neque audias, neque loquaris, neque cogites, neque gressum dirigas, neque quidquam aliud opereris, nisi dignum conspectu Dei, & in conspectu Dei.

3. Dissimulatio gratiarum Dei excitantium seu prævenientium, ordinatarum à Deo ad vitandas imperfectiones; dissimulatio inquam, vel dilatio, partim ex pusillanimitate, partim ob fugam molestiæ alicujus, partim ob respectus humanos. Hæc dissimulatio & dilatio est fons omnis mali; quia enim, juxta Tridentinum, *sess. 6. cap. 16.* Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur; Quia, inquam, hæ excitantes seu antecedentes gratiæ à Christo in palmites derivantur, non potest esse palme vivæ vitis, sine hoc influxu gratiarum excitantium, proinde indies arefcet, excidetur, & in ignem mittetur. Si non vis, Religiose, æternum indormire, excitanti quotidie Deo morigerum te præbe.

4. Neglectus ordinis, temporum, & actionum; ex quo oritur conjectio sui cum actionibus Deum concernentibus,

e. g. Meditatione, Examine, &c. in angustias temporis: hinc festinatio, praecipitatio, & expeditio levi brachio, interdumque omissio: quod quam damnosum sit, inde colligi potest, quia interdum Deus alligat alicui tempori aut actioni gratias, cum finali gratia connexas, atque ita neglexisse tempus aut actionem illam, est, perdidisse gratias illas, & consequenter gratiam finalem.

5. Languor mentis & tepiditas quaedam, licet nondum in gradu ultimo, nauseam Deo excitante: Languorem hunc esse fontem defectuum, seu infirmitatum animae, judicari potest ex languore corporis; cum hoc discrimine, quod languor corporis est signum & effectus infirmitatum corporis, est enim defectio virium, ob distemperationem caloris, frigoris, &c. languor autem animae est causa infirmitatum animae; nam est diminutio caloris, seu fervoris, per quem anima in statu competenti coram Deo subsistebat: quanquam invenitur languor animae, qui est effectus infirmitatum animae, seu peccatorum, sed iste coincidit cum tepiditate, inducente Deum ad hoc, ut ejiciat hominem, tanquam detestabilem, juxta illud *Apoc. 3. Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

6. Defectus silentii: qui hoc efficit

in Religioso, ut ejus vana sit Religio, juxta S. Jacobum, cap. 5. ut non possit non peccare: *Nam in multiloquio non deerit peccatum*; utque facile superetur à Diabolo: Sicut enim Urbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum; denique ut non justificetur, nam *nunquam vir linguosus justificabitur, Job. 11.* atque ut S. Gregorius, *lib. 10. Moral. cap. 2.* hunc locum expendens, ait; cadet in eum illa maledictio: *Effusus es sicut aqua, non crescas.*

7. Respectus, & rationes humanæ, sperantes, timentes, differentes, dissimulantes: amicitiae item, dulciter persuadentes violationem Regularum, & sanctarum consuetudinum, jacturam temporis, &c. Per hos respectus interdum despicitur Deus; hæ rationes rectam rationem pervertunt, spes istæ cum spe in DEUM, timores hi cum timore DEI, stare non possunt per seipsum; amicitiae ejusmodi plerumque inimicæ sunt DEO. Si vis ergo, Religiose, ut te & munera tua respiciat Deus, respectibus humanis noli laborare.

8. Quærere seipsum, & propria commoda. Ex hoc fonte omnes ferme defectus profluunt tam in hominibus sæcularibus, quàm in Religiosis: quærendo seipsum perierunt tot milliones

Angelorum, qui Luciferum sunt secuti; quærendo seipsum perit genus humanum; quærendo seipsum amittitur Deus, & infernus impletur animabus. Religiose, si credis Christo, & si es discipulus ejus, perde te, & invenies te.

9. Inconstantia animi, quoad propositorum desertionem, quoad observationem temporum & actionum, privatarumque devotionum: per talem inconstantiam plerique eò deveniunt, ut Deus iis deneget gratiam perseverantiæ. Time igitur illam, si times interitum.

10. Non evitare occasiones, personas, tempora, loca, materias, circumstantias, in quibus experientia docuit, commissos esse defectus. Non evitare occasiones, est, velle occasum animæ.

11. Negligens præparatio ad Meditationes: hanc negligentiam arbitror ego esse fontem omnium defectuum quotidianorum in Nostris; ex negligentia enim hac sequitur mala Meditatio; ex mala Meditatione malitia omnium actionum per diem. Plus dicere solebat P. Paulus Kuhn, eximie Vir Religiositatis & doctrinæ in Provincia nostra, se experientiâ didicisse, quòd nemo Societatem nostram deseruerit, nisi qui prius Meditationem neglexisset.